



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica**

**Geulincx, Arnold**

**Lugd. Batav., MDCLXXV**

Plooemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](#)



# ETHICÆ

Tractatus secundus,  
De Virtutibus vulgo dictis Par-  
ticularibus.

## PROOEIUM.

**V**irtus una est atque unica : cum igi-  
tur plures virtutes dicimus , non  
existimamus , quod ipsa virtus se-  
cundum se , & abstractim conside-  
rata , pluralitatem admittat , sed mentem  
demittimus in considerationem officiorum  
virtutis , quæ sunt effecta , in qua virtus pro-  
pendet . Cum enim virtus sit propositum fa-  
ciendi , quod jubet ratio ( ut patet ex tractatu  
primo ) hinc illa semper in factum aliquod  
propendet , quodque officium ejus dicitur .  
Officia hac admodum diversa sunt : saepe  
enim virtus propendet ad faciendum sum-  
ptum & ad hoc officium comparata , vocatur  
liberalitas ; saepe ad parcendum , & tum di-

## Proæmium.

citur frugalitas; saepe ad alloquendum, jocandum, & tum comitas atque urbanitas: saepe ad serio graviterque censendum, & tum gravitas severitasque: modo versatur inter secunda, & tum temperantia, modo inter adversa & tum fortitudinis nomine insinatur. Modo aliis atque aliis circumstantiis vestit quasi induitque, & accipit pro eorum diversitate diversa nomina, ac velut totidem insignia: ipsa tamen in his omnibus una semper eademque est. Et particulares quidem virtutes sunt inseparabiles ab eo officio, quod virtus informat, necessario enim in eo reperiuntur. Particulares vero separari possunt, & dari potest officium virtutis, in quo hac aut illa particularis virtus non reperitur; ne in officio liberalitatis nulla elucet frugalitas, & vice versa in hujus officio non illa. Cardinalibus vero destitui nullum potest virtutis officium. Sunt igitur virtutes Cardinales proprietates quadam virtutis in officium corporis suum exeuntis, quibus proinde virtus non quam, quotiescumque officio aliquo suo ac minore defungitur, destitui potest: quaque autem virtus particularis accidens est virtutis

## Proœmium.

in officium suum exeuntis, quæ proinde à virtute sicexeunte separari potest ac facile divelli, quæ melius patebunt ex sequentibus.

Virtutes Cardinales non sunt aliud rei, quam virtus exiens in officium quocunque tandem. Virtutes autem particulares non sunt aliud rei, quam virtus exiens determinate in hoc officium vel illud; verum liberalitas est virtus exiens in sumptus: frugalitas est virtus abstinentia à sumptu: considerantur tamen aliquando etiam virtutes particulares ut priores officio, & non tam ut exeentes, quam ut exiturae, si occasio ferret, adeoque liberales etiam dici possunt, qui jam sumptum nullum faciunt ( facturi si occasio ferret, si materia vel seges suppeteret, essentque & quæ & quibus darent ) & frugales qui jam sumptus magnos faciunt ( non facturi si res aliter se daret ) atque hac Ratione viro bono omnes virtutes particulares competit: estque & fortis & temperans, simulque & commis & severus, idemque liberalis & frugi &c. Sed juxta priorem Rationem vir bonus habet saepè unam virtutem particularem ( cum nempe unum aliquod virtutis officium

## Proæmium.

exsequitur) aliis vero quibusdam caret (quarum scilicet jam non obit officia) posterior acceptio melior est & magis propria: non enim satis proprie dicimus cum virtute aliqua carere, qui officium hoc, quod virtus illa præstare debet, eo quod materia vel instrumenta deficiant, non exsequitur: sicuti nec artificem arte sua destitutum esse putamus, cum instrumentis artis sue vel materia, in quam agit, destituitur: pictorque adhuc videtur, qui penicillo, tabulâ & coloribus caret: idem est de viro bono, & liberalis est etiam tunc, cum nec quid, nec cui det, habet. Habet igitur hic Tractatus secundus partes tres: sed si & quatuor paragraphos partem esse volueris, quatuor erunt. Pars I. De Virtutibus particularibus in genere, quæ primis 4. §. continentur. Pars II. De Virtutibus particularibus circa nos, nempe temperancia & fortitudine. Pars III. De Virtutibus particularibus circa Deum, pietate scil. & religione. Pars IV. De Virtutibus particularibus alium quemcunque hominem (proximum vocant Christiani) de justitia & aequitate.

§. I. Virtus